

Sepibus, Georgius de; Kircher, Athanasius: Romani Collegii Societatis Jesu Musaeum Celeberrimum: Cujus magnum Antiquariae rei, statuarum, imaginum, picturarumque partem Ex Legato Alphonsi Donini, ... A Secretis, munificâ Liberalitate relictum ; P. Athanasius Kircherus ... novis & raris inventis locupletatum, compluriumque Principum curiosis donariis magno rerum apparatu instruxit

Amsterdam, 1678

Seite 47

COLLEGIUM ROM. S. J.

47

Cap. IX.



Coronidis loco, hoc in capite digressionem facio ad experimentum Hydrargyrostaticum, quo plures Philosophi in physicis vacuum admitti posse sibi confidentius imaginantur, posito sequenti experimento. Esto vas vitreum seu tubus oblongus qui in supremitate globum habeat, ex quo foramen canalis paulatim & sensim diminuendo excurrat. Repleto Mercurio globulo, alteri vasi inverso ora indatur, in quo etiam argentum vivum insit, & sensim amoto digito orificium tubi in inversione claudente videbis ergastuli vitrei impa-

tientem Mercurium tumultuari, subfidere, rursus attolli, donec vibrationibus continuatis lassus ad quietem se componat, ita tamen, ut magnam tubi partem in A inanem relinquat, quod inane vacuum esse contendunt. Verum natura accuratius considerata, fateor ad explendum inane à Mercurio derelictum, peregrinum aërem non posse succedere, cui si ingrediendi copia foret, id fieret per vitri poros; certè at nunc ratio non esset, cur Mercurius violenter suspensus non in subiectum vas rueret; fateor insuper, neque per orificium fistulæ subingredi aërem posse, quem profunde in tubi fundo mersum, orificium, aër ne subintret, Mercurius occludit, ob anteriorem causam violentæ in tubo Mercurii suspensionis; Anne ergo in illo inani vacuum concedam? Absit. Cum enim tenuissima quædam corpuscula aërea omni mixto insint, & Natura vacuum angue pejus oderit; Mercurius tam diu continuata agitatione vibrabitur, donec ei insita corpuscula separata metuentis naturæ vi, ei in superiorem partem tubi recipiant, sicque Mercurium in medio aëre suspensum teneant.

Pars II.

PARS

